

Titel: Cento (ex Virgilio) cujus autor est Christ. Frid. Temlerus

Citation: "Cento (ex Virgilio) cujus autor est Christ. Frid. Temlerus", i *Luxdorphs samling af trykkefrihedens skrifter 1770-1773: Række 2 bind 3, ?*, s. 1. Onlineudgave fra Trykkefrihedens Skrifter: https://tekster.kb.dk/text/tfs-texts-2_003-shoot-workid2_003_016.pdf (tilgået 03. august 2024)

Anvendt udgave: Luxdorphs samling af trykkefrihedens skrifter 1770-1773: Række 2 bind 3

Ophavsret: Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse.

[Læs Public Domain-erklæringen](#)

CENTO.

**Accipe nunc Danaúm insidias, et crimine ab uno
Disce omnes; etenim longa est injuria, longae
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.**

Annus exactis completur mensibus orbis,

**Cum patriam fugiunt virtus, pietasque,
decusque. Affectare vident regnum caeleste
gigantes;**

Et praeceps Phaëthon, animis elate superbis,

Tune inferre manus sceptris, tu furcifer, audes? Majestas teritur; tecum glomerantur in unum

Deformes Erebi pestes - quascunque sinistro Nox genuit foetu, furiali semine natas. Cuncta feris, dum cuncta times, desaevit in omnes, Destruis, aedificas, misces quadrata rotundis;

2

Vix spes ipse tuas animo capis, aurea fingens Somnia, praetumido quatientia corda furore.

Turba salutantum dum vanas perstrepat aures Idoli, stetit umbra minax, vulgusque tacere Jussit, et atroci patefecit crimina vultu.

Quo, scelerate, ruis, quae te vesania cepit,

Impie? Caecus inest vitiis amor, omne futurum Despicitur, suadentque brevem praesentia fructum. Interea pavidam volitans pennata per urbem Nuncia fama ruit, ferrum, flammisque parari. Confremuere omnes subitae terrore ruinae;

Incaluere tamen, cervixque repugnat habenis. Contigerant cunctas opprobria temporis aures. Immortale odium et nunquam sanabile vulnus Dissimulare student animi, tacitique bonorum Suspirant gemitus, indignarique verentur.

Abstulit hunc tandem Phaëthontis poena tumultum.

3

Namque ut suprema, falsa inter gaudia, nocte Contra letiferos rictus, contraque rapaces Movit tela feras patriae memorabilis ardor,

Protinus exsanguis Phaëthontem perculit horror; Infectae pallore genae, stetit ore gelato Contemtrix superúm tua, Cerbere, dira propago; Excutitur, poenamque luit formidine poenae;

Et solvet meritam. Jam non ad culmina rerum Vecordes properasse queror; tollitur in altum,

Ut lapsu graviore ruant, exempla futuri.